



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ
Recentiores**

Hay, John

Antverpiae, 1605

Residentia Vchimensis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

factum est, ut plerique omnes, qui nōdum septimum attingere annum, & orationes & capitula decem tam promptē reddant, ut aliorum possint esse Doctores.

Tonus loci cuiusdam iussit omnes suos ad Ecclesiam signo sonoro euocari, & si cunctantiū accurrerent post concionem iam inchoatam, repellebat eos, dicēs; ob negligentiam sancta doctrina indignas: quo studio effecit, ut omnes tempestiuē deinceps adessent.

Christiano cuidam petenti calculum benedictum Pater negavit, quōd sacram ædem non frequentaret: cumque ab eodem rogaret, num teneret orationes: respōdit, non, sed se statim memoriam mandaturum. Sic fecit, & post triduum reuersus, è memoria recitauit. Erat hic homo de utroque; mutilus, nec nisi genuum manuumque opera progredi poterat, & tamen ad obtinendum vnū globulum piacularē non dubitauit per arduum asperumque montem ad magnæ leucæ interuallum huc prorepere.

Octogenarius senex apud suos in pretio cum in morbum incidisset, & facile posset euocare aliquem Patrem, tamen maluit per consanguineum suum indicare Patri, ob incommoda longioris viæ se noluisse eum euocare. itaque ipse æger se in viam dat, ut querat Patrem confessionis faciendæ causa, ac tandem tertio die ad eum peruenit, & a peccatis absolutus est.

Similiter & mulier vterum gerens huc illucque discurrens per dies tres, ut copiam Patris habere possit, tandem in quendam incidit, & sordes animi sui deterisit. Alia exigua sua villa derelicta, in aliam ditionem dum iter haberet, ad audiendam ibi rem diuinam, sensit se a serpente ictam, & tamen iter prosecuta est, sacram ædem ingressa; Missam concionemque, nullo signo, vel vultu, vel voce doloris, quem tamen senserat acerrimum, dato, audiuit. Ea finita Patri humiliter reuerentēque totam rem patefecit. Pater mox antidotum adhiberi iubet, ilico mulier sanatur, & lata consolationēque plena ad suos redit.

RESIDENTIA VCHIMENSIS.

POST institutam sodalitatē, Vchimenses Christiani, qui versantur in ditione Domini Sancti Omurani, tantum in pietate Christiana profecere, ut suo opte nutu, à nullo impulsu, excitant ædem sacram amplissimam, in qua quoties recitant piscationē margaritarum, semper aliquas Beatiss. Virgini offerunt. Quorum simplicitatē sincerumque pectus respiciens ben-

benignissima mater, non desinit etiam eorum necessitatibus succurrere.

In his regionibus imbrum copia admodum exundant frumenta. Vnde hoc anno quoddam ripas suas magno furore egressas omnes gentilium domos ligneas, quæ proximè ripam constructæ erant, abripuit in mare, cum multorum hominum interitu. Deportati sunt & duo Christiani intra ædes suas inclusi diem noctemque ad quinque vel sex leucarum spatium, quid facerent in tantæ vitæ discrimine inuocant supplices matrem misericordiam, vobis que factis sibi conciliant: cuius & clementia impetrarunt, ut eadem domus hæretet in terra, ipsique incolumes euaderent.

In Toquitrū quingenti supra mille fideles numerantur. Est hic cæcus, qui vacat humanis defunctorum corporibus, varia loci obit doctrinæ Christianæ tradendæ causa, ad longa itinera concitanda promptior, quam multi videndi facultate præditi. Christiani in ea ora tantum vescuntur herbarum radicibus, glandibus, cæpis, cum aliquanto hordeo, cicerculis, & admodum modico oriza, & tamen in hac rerum omnium penuria læti viuunt & læti, raro aegrotant, omnes serè ad extremam veniunt senectutem. Si morbo aliquo, ut febricula, tententur, cum medicus eis præsentem Deum sit nullus, per fugium suum habent ad Ecclesiam, in ea magna diei parte hærent, aquam iustalem bibunt, se precibus celestis medico commendant, & denique multi pro sua simplicitate & puritate sanitatem impetrant.

DE MEACENSI REGIONE.

Quamuis persecutio nostrorum totos hos decem annos suum cursum tenuerit, tamen a tribus quatuorve annis quibus languescere cæpit, res Christiana, diuina operante gratia, semper vberiore habuit progressum, Tancique aliorum aduersariorum animus in Societatis homines æquior constitit. Ac superiore quidem anno, supra omnem spem humanam, huc vsque tantus fuit nobilium illustriumque hominum, cum Metci tum Ozacæ, (quæ vrbes sunt totius Iaponiæ facile principes, & omnisque nobilitatis domicilia) ad audiendam Legem nostram conuersus; ut omnes, quotquot viderunt audierantve, oblitiscerent. Nobiles enim hi Domini, simul atque sacro lætæ operata subiecissent, omnibus suis amicis & notis aurores fuisse, ut similiter facerent: vnde tanta hominum turba ad nos confluit, ut fratres nostri, cum diurnis sermonibus nonnullis addere